

21894

/ Serenissime, ac Potentissime Rex. Dilexi Reverendissimum D. Ioan-
nem Węzyk, cum esset Romae, sed nunc multo magis diligo, cum intel-
ligam diligi a Majestate Vestra Serenissima; mihi enim persuadeo, a
tam pio Rege non diligi nisi viros pios, et benevolentia regia dig-
5 nos. Quod autem attinet ad promotionem ad Episcopatum Praemislien-
sem, ad quem Majestas Vestra eum nominavit, nulla difficultas esse
potuit, neque fuit; scit enim Summus Pontifex, et nos omnes scimus
a Majestate Vestra non proponi nisi viros optimos, et Episcopali
gradu dignissimos. Neque fuit difficultas ulla in concedenda reten-
10 tione Abbatiae, cum Episcopatus tenuis sit, et oporteat Episcopum
divitem esse, ut eleemosynas erogare possit pauperibus. Non ero mo-
lestus longiore epistola Regiae Majestati, quam scio in rebus gravis-
simis perpetuo occupari. Opto Majestati Vestrae a Deo longitudinem
dierum, et omnia alia bona, quae tanto Regi necessaria sunt. Romae
15 die 17 Februarii 1620.